



C
507

AD VOTA

FRIDERICO AVGVSTO

SERENISSIMO SAXONIAE ELECTORI
SACRAMENTO FIDEI ATQVE OBSEQVII
PVBLICE HODIE PRAESTITO
FACIENDA

VT

VIRI

GENEROSISSIMI SVMME REVERENDI EXCELLEN-
TISSIMI PRAENOBILISSIMI CONSVLTISSIMI
EXPERIENTISSIMI CLARISSIMI

PRAECIPVE

DOMINI INSPECTORES

OMNI VENERATIONE DIGNISSIMI
CRAS HORA NONA MATVTINA AVDITA
IN AVDITORIO MAIORI
FREQUENTES ADSINT
DECENTISSIME ROGITAT

DE

TEMPLO JANI CLAVSO

PAVCA PRAEFATVS
FRIDERICVS AVGVSTVS BVRGERS
FRANCISCANEI RECTOR.

MISNAE

LITERIS SCHVLZIANIS.

25.

FRONTISPIZ

DE REBUS QUAE IN
SACRIS SCRIPTURIS
PRAESERTIM IN
GENESI

EXPOSITIO
AUCTORIS
GENESII

AVGVSTINI
EPISCOPI
SACROSANCTAE
ROMANAE ECCLESIAE
CATHEDRAE
SACERDOTIS
SACRIS
SCRIPTURIS
EXPOSITIO
AUCTORIS
GENESII

AVGVSTINI
EPISCOPI
SACROSANCTAE
ROMANAE ECCLESIAE
CATHEDRAE
SACERDOTIS
SACRIS
SCRIPTURIS
EXPOSITIO
AUCTORIS
GENESII

AVGVSTINI
EPISCOPI
SACROSANCTAE
ROMANAE ECCLESIAE
CATHEDRAE
SACERDOTIS
SACRIS
SCRIPTURIS
EXPOSITIO
AUCTORIS
GENESII



Atrocissimi belli per plurimum Europae regnorum, sic et Saxoniae totius viscera per sex, et quod excurrit, annos uehementissime grassati, nunc uero, anno nimirum millesimo septingentesimo supra sexagesimum tertio, summi dominatoris rerum, DEL, beneficio finiti tempora; pax item optima rerum, quas homini nouisse datum est, diuino munere Saxoniae nostrae redonata, atque incendia huiusce belli satis fideliter extincta; ut et sacramentum fidei atque obsequii Electori Saxoniae Serenissimo publice hodie praestitum, praebent occasionem, de ritu ueterum Romanorum, qui, pace terra marique parta, belloque ex omnibus, quibus Roma praesidebat, provinciis exterminato, Templum JANUS claudere consueuerant, pauca hic congerendi. JANVS, cuius nomen JOHANNES MINVTOLVS in Dissertatione de urbis Romae origine deriuari ex Hebraeorum lingua existimat, *Apollinis* et *Crœusae*, filiae *Erechthei*, Athenarum Regis, filius, Rex Latii primus antiquiorque Saturno, qui sub aduentum in regni societatem ab isto est adscitus, fuisse creditur. JANVS, ad immortalitatem memoria et religione consecratus, habitus est post mortem Deus, et Italiae quidem antiquissimus,

mus, a quo precatationis principium in omnibus Deorum reli-
quorum sacrificiis esse factum, capite tertio Libri secundi Para-
lipomenorum ad Romanas Rosini Antiquitates satis superque
confirmat THOMAS DEMPSTERVS. Bifrons iste dictus
est, uel Geminus. Nostrum hoc loco neutiquam est, appella-
tionis huius causas, quarum uariae in CHRISTOPHORI
WOLTERECK Electis Rei Nummariae recensentur, ut et
alia, quibus insignitus fuit, nomina, de quibus LIVIVS GY-
RALDVS Syntagmate quarto Historiae Deorum uideatur, et
si qua praeterea fabulositas poetica de eo tradidit, de quibus
ALBERTI HENRICI de SALLENGRE Antiquitatum Ro-
manarum Thesaurus nouus euoluatur, memorare, sed solum-
modo explicare breuissimis atque excutere, quae historiae
auctores de templo ei dedicato retulerunt. ROMVLVS, si
eius templi conditor est, non NVMA POMPILIVS, hic certe
has ei dedit partes, ut uel belli uel pacis indicium faceret, quippe
qui, FLORO capite secundo Libri primi rerum a Romanis
gestarum testante, JANVM Geminum, fidem pacis ac belli, ci-
uibus suis colendum dedit. At enim si cui haec FLORI uerba
uidentur obscuriora, intueatur is clariora haec LIVII PATA-
VINI capite undeuigesimo Libri primi Historiarum ab urbe
condita acie mentis intentiori: Numa JANVM ad infimum
Argiletum indicem pacis bellique fecit: apertus, ut in armis
esse ciuitatem: clausus, pacatos circa omnes populos, signifi-
caret. Vnde apparet, JANVM istum, modo PATVLCII,
a patendo, modo CLVSII, a claudendo, nomen accepisse, id
quod in Dissertatione de Clauibus Veterum his indicat uerbis
LAVRENTIVS JOHANNES MOLINVS: JANVS, in-
quiens, dictus est Romanis PATVLCIVS, quod portae eius
temporibus bellicis ac turbulentis paterent, et CLVSIVS,
quasi CLAVSIVS, quod pacis temporibus portae eiusdem fa-
ni clausae haberentur. Non meum est, perscrutari hoc loco
causas, cur apertum JANI templum belli signum, clausum uero
pacis fuerit existimatum, quoniam GYRALDVS in Historiae
De-

Deorum Syntagmatibus, et ex eo **DEMPSTERVS** non unam recenset. Istud autem potius interrogabo, quod inter Eruditos controuersum dissensionisque plenum esse cernitur, quoties nimirum clausum fuerit **JANI** templum? Sunt, qui sibi persuadent, id omni aeuo ter tantum modo esse factum, qui autem cum **VELLEJO PATERCVLO** consentire hac in re uidentur, Auctore omnibus fere magni aestimato, **PETRO BVRMANNO** excepto, cuius iudicium de **VELLEJO** in Eruditorum Actis ad annum millesimum septingentesimum supra uicesimum primum legimus. Ait uero **VELLEJVS** capite tricesimo octauo Libri secundi Historiae Romanae: Immane bellicae ciuitatis argumentum, quod semel sub Regibus, Numa scilicet Pompilio; iterum Tito Manlio Consule, quo tempore bello diuturno fracta Carthago uectigalis populo Romano facta erat et stipendiaria: tertio Principe Augusto, certae pacis argumentum Janus Geminus clausus dedit. Homines eruditi uestigia istius, insecuti, ut **GLAREANVS**, **JOHANNES JACOBVS HOFMANNVS**, cuius in Tomo primo Lexici Universalis fit mentio, aliique in eodem uersati sunt errore. Sed solum Augustum Caesarem **JANI** templum ter clausisse uel **SVETONII** solius testimonio edocti nouimus, in Augusto capite uicesimo secundo ita referentis: Janum Quirinum semel atque iterum a condita urbe, memoriam ante suam, clausum in multo breuiore temporis spatio, terra marique pace parta, ter clusit Augustus. Quibus autem temporibus hoc factum, ex antiquis monumentis doctissimi exponunt Scriptores, ut **LIPSIVS** Operum Tomo primo, **CASAVBONVS** in Animadversionibus ad Suetonium, et **PITISCVS** Tomo primo notarum ad eundem Suetonium, neque de primo clausi Jani tempore ac secundo controuersia est oborta. Prima enim uice post Antonium deuictum, et secunda, bello Cantabrico feliciter confecto, **JANI** fores fuisse clausas, omnes ore affirmant uno. Quo autem temporis puncto tertia uice Augustus actionem hanc suscepit populo gratissimam, in eo Virorum do-

etorum sententiae dissonae deprehenduntur. Patrum priscae
Ecclesiae nonnulli, ut et PAVLVS OROSIVS capite nicesimo
Libri sexti Historiarum sunt arbitrati, eo ipso tempore hoc ac-
cidisse, quo Filius DEI, omnium pacificator maximus, artus in-
duit humanos, putantes, nimirum, omnes Imperii Romani pro-
uincias a bellorum tumultu eodem tempore requieuisse; cui
sententiae Eruditorum haud extremos esse adstipulatos uide-
mus. In eorum numero ponendus ISAACVS CASAVBO-
NVS, doctrinae profundae Vir: Clausit quoque, in citatis
ad Suetonium Animaduersionibus inquiring, idem Imperator,
Augustus, templum Jani circa tempora natiuitatis Regis et
Pontificis summi, IESV CHRISTI, Domini nostri.
Eandem quoque aluit sententiam ANTONIVS BYNAEVS
Libro primo de Natali IESV CHRISTI, ut reliquos Eru-
ditissimorum taceam. Sed JOHANNES MASSONIVS, in
Chronologiae Historiarumque studio longe uersatissimus Vir,
natione Gallus, in Belgio primum, dein autem in Anglia felici-
ter exulans, argumentis haud leuibus in JANI templo
CHRISTO nascente reserato, qui Liber anno millesimo
septingentesimo Roterodami exiit, opinionem uulgarem ex-
istimantium confutauit, nati Seruatoris tempore toto terrarum
orbe pacem fuisse stabilitam. In eo enim Libro docet, quam
parum fidei OROSIO, credulo illi historiaeque haud satis pe-
rito habendum sit scriptori, dilucidissimeque ex Annalibus
ostendere contendit, nec clausum Janum, nec Romanos ubi-
uis locorum abfuisse tempore isto a belli calamitatibus, Ro-
mam contra quindecim, sedecim uel septendecim annis post
ista gauisam esse felicitate. Et post ea tempora Nero Janum
Geminum clausit, ut Suetonius in Nerone capite tertio affir-
mat, et quidem, si Casauboni conjecturae habenda fides, plus
simplici uice, quia, Suetonio referente, tam nullo, quam residuo
bello clausit; quanquam uerba haec sic quoque possent ex-
plicari, Neronem nimirum bello uno, eoque Parthico, sopito,
clausisse Janum, tametsi aliae regiones bellicorum motuum
re-

reliquias habuerint. Postquam deinde Janus Geminus, quod Orosius Historiarum Libri septimi capite sexto docet, obseratis claustris cohibitus erat a Vespasiano, de portis Jani uel clausis uel apertis per quoddam temporis spatium Historicorum scripta silent. Attamen uel inde manifestum est, ueterem hanc consuetudinem penitus abrogatam haud fuisse, quia Gordianus tertius, seculi tertii Imperator, Julio Capitolino testante, Jano Gemino aperto, quod indicti belli signum erat, contra Persas cum ingenti exercitu est profectus. Sed interroget forsitan quis, quid de Principibus statuendum, qui sacra amplexi erant Christiana, et qui, ut Lactantii uerbis utar, sacrilegis sacris renunciauerant? Nonne sacra in melius mutata a ritu Jani claudendi penitus eos abduxerunt? Institutum hoc antiquum temporibus primis eos haud abhorruisse, testis est Ammianus Marcellinus, qui de Constantio, Constantini Magni filio, Libro Historiarum decimo sexto hisce utitur uerbis: Concluso, inquam, Jani templo, stratisque hostibus cunctis, Romam gestiebat uisere; cui Ammiani sententiae et dictus Casaubonus, forsitan et aliorum permulti adhaeserunt. Sed de templo Jani clauso dicta nunc sufficiant.

Gaudeamus potius, omnibus terras Saxonicas habitantibus restituta feliciter pace concessam esse facultatem, libere adeundi templa, quae injuriae Martis uariis antea locis obstruxerant. Faxit et DEVS, ut Princeps et ELECTOR noster SERENISSIMVS, FRIDERICVS AVGVSTVS, cui fidei obsequiique sacramentum hodie publice praestamus omnes, per multorum annorum seriem felix omnino sit ac beatus, atque ut Gens Saxoniae Illustrissima omnibus rerum copiis perpetuo circumfluat, tamque diu floreat, donec inconcussa haec mundi amplissima moles DEI arbitrio et cura constabit. Quo gaudio et nos commoti apud animum constituimus, cras, auxiliante DEO, Clementissimum AVGVSTVM nostrum laudibus honoribusque, quibus possumus, maximis ornare. Hinc

CHRI-

CHRISTIANVS FRIDERICVS THAMMIVS

Misnensis

gallico declarabit sermone prorso, Principem amore alios prosequentem optime imperare.

POLYCARPVS GOTTHOLD MOEBIVS

Misnensis

latino idiomate de Necessitate, politicas leges quam maturissime adolescentes docendi, conscriptam recitabit orationem.

CHRISTIANVS GOTTLOB DONATHVS

Striegnicensis

naturam ipsam uelle, ut fidem, Principi praestitam, ciues seruent, teutonico sermone ligato decantabit.

Denique

JOHANNES FRIDERICVS BEVCHELIVS

Misnensis

pro Auditorum Splendidissimorum praesentia breuiter uerbis gratias aget germanicis.

Vos itaque, **ILLVSTRIS-SIME COMMISSARIE, PATRONI** et **FAVTORES**, nisi uultis, ut benignitatem Vestram in nos clausam esse arbitremur, haud grauabimini, templum Musarum nostrarum apertum frequentes intrare, ibique, dum haec dicuntur, adsidere; cuius ego beneficii, dum lumina mihi claudantur, ero memor. Dabam e museo Franciscanei ipso Homagii die, uicesimo nimirum mensis Septembris

MDCCLXIX.



Hinweise

Signatur 3 A 5539		Stok f
RS	Bub	AK f
	Titelaufn.	AKB f - 2351

FK 25,5
 Hauptwerk: 1 Homil. 907. Je
 Angeb. 1: 1 " 907. De
 " 2: 1 Sachsch. Ja 11.6.
 " 3: 1 Homil. 907. De.

Bio K Bild K < Folio n. Blatt ! >

Hauptwerk	} erl.	4.10.79 ge
angeb. 1		
angeb. 2 2x		
angeb. 3 3x		
angeb. 5		
SWK angeb. 6		
angeb. 27		

Sonderstandort	Signum	Ausleihe- vermerk

III/9/280 Id-G 54/60

